adiecit Omnis eñ qui acceperit gladiū: gladio peribit: Quod augustinus libro. 2. ꝯͣ manicheos exponit. Et habet̃ tranſūptie 23. q. 4. c. Jlle. Ubi dī Jlle gladiū accipit q̇ nulla ſuperiori ac legittima poteſtate vel iubēte vel cōcedēte in ſanguine alicuiꝰ armat̃. Talis ſic vindictā exercēs: ē ſibiipi ꝑditionē acquirēs: Et adiūgit Calicē quē dederit mihi pr̄ no bibā illū. Jn hoc verbo ſecūdū criſoſtomū ꝙ ipſam mortē calicē dicit: quā ſibi grata ꝛ acceptabilis pro ſalute mortaliū mors videt̃ ediſſerit. Ad pleniorē q̇ꝫ inſinuationē ſue volūtarie paſſiōis: ſbdit An putas qꝛ non poſſum rogare patrē meū: ꝛ exhibebit mihi modo plus q̄ꝫ 12. legiones angeloꝝ? O iheſu fili dei quid aliud fuit iſtud dicere: q̄n ſubſidiū hominū nō quero: qui legiones tot angeloꝝ habere potero. Nēpe legimꝰ quarti regū. 19. ꝛ yſaie. 37. vnū angelū occidiſſe in caſtris aſſirioꝝ centū octogītaquiqꝫ milia hoīuꝫ Quod qꝛ verū ē: quid ḡ poterūt facere tot milia angeloꝝ. Naꝫ duodeci legiōes efficiūt ſeptuagīta duo milia: ſicut ſunt ſeptuaginta due lingue hoīm Quo ḡ iplebunt̃ ſcipture Qm̄ ſi oportet fieri: vtiqꝫ ad hūani generis liberationē. Quia ꝛ ſi aliꝰ modus fuerit de eo poſſibilis: nullus tñ ita ꝯueniēs: ꝛ iō nō erat locus defenſiōis ꝛ reſiſtētie ſed magis paciētie. Et vt maiorē paciētiā exhiberet. Tetigit auriculā ꝛ ſanauit eā Tum ꝑpter noſtraꝫ inſtructiōem: vt eius verbo ꝛ exemplo edocti benefacere ſtudeamus illis qui oderunt nos. Quē non moueat ꝙ illi iuſto mortē inferunt: iſte perſequentiū vulnera ſanat. Tum ꝑpter aſtantiū ꝯuerſionem qui videntes tam benificum pietatis actū: merito reliquiſſent coꝛ incredulum ac animū mutaſſent peruerſū. Sꝫ ad maiorem dictorum elucidationem non immerito queri poteſt Utrū alio modo potuit deus ſaluare genꝰ hūanū. Reſpondet ſanctus bonauentura doctoꝛ ſeraphicus in tertio diſtinctōne viceſima Quod ſi loq̇mur de potētia dei reparātis: ſic abſqꝫ dubio potuit: vt dicit magiſter in littera Et hugo de ſacramentis Quia ſicut ſolo nutu mentis ꝛ imperio voluntatis potuit creare: ita etiam reparare Si de potentia ex parte generis hūani: ſic determinatuꝫ eſt ſibi poſſe ad hanc viam: quia deus nos aliter non decreuit ſaluare. Unde ſicut conceditur ꝙ nullus homo poteſt ſaluari niſi credat in chriſtum: non enim patet nobis alia via ſalutis: potuiſſet tamen dediſſe aliam viam ſi voluiſſet. Jta in propoſito Et addit ꝙ temerarium eſt cum de diuina potentia agitur terminum prefigere ei vel tantum Amplius enim poteſt q̄ꝫ nos poſſumus cogitare.

¶ Quo ad quartū.ſ.fugā ſcādaloſam dñici gregis dī. Lūc.ſ.qñ
viderūt ſuū magiſtrū manibus vltricibꝰ nephādoꝝ ita crudeli
ter tractari:cōculcari ꝛ ligari Relicto eo pꝛe nimio timoꝛe fu
gerūt Reuera velut volatilia int̄ que iacit̄ lapis iꝓuiſe per i
certas aeris ſemitas volāt:ꝛ in ſummitatibꝰ ꝛ ramulis arboꝝ
ſe tollūt quas añ nō ꝓuiderūt. Sic apoſtolicus choꝛus fugiēdo
incertitudine refugij vagabat̄ O bellū durū vbi ꝑmo capitur
pꝛinceps:ꝛ totus exercitus fugit cōfuſione plenꝰ An licet mihi
loqui O iudices ſeculi:lumiaria mūdi:quid rogo fugitis: Sci
tis quē relinq̄tis: Nōne eū q̇ ē via:veritas ꝛ vita: Et qꝛ viam
deſeritis:quo ſine via ire intēditis: Ueritatē fugitis:vbi queſo
ſine veritate pauſabitis: Timndū plane ē:ne iniquitatē iiqui
tas comitet̄: Nōne ipe ē vita ꝛ vite auctoꝛ quē relinq̄tis: An
non moꝛti appꝛopiquat qui vitā reliquere eternā nō curat: Si
gite greſſus vlterius ne curatis:ſed redite ꝛ videte quātā paci
entiā oſtendat in tribulatiōe ſua magiſter ꝛ dñs iħs:vt omniū
ſaluandoꝝ ꝓmoueat̄ ſalus Quis dubitat quī vlulatus:ploratꝰ
ꝛ gemitꝰ emiſerūt:cū timoꝛe ꝑculſi lucē reliquerūt mūdi:aucto
rē ſeculi:gloꝛiā celi: Et qꝛ relinquit̄ i manibus ſceleratoꝝ ſine
adiutoꝛio:ꝓpera aīa mea coꝛde magno:auſculta q̇d loquat̄:qꝛ
reuera v̄ba pꝛofert ōni deuotōic ꝑcipuoqꝫ affectu memoꝛie cō
mendanda.Uñ uarrat euangeliſta dicēs In illa hoꝛa dixit ad
illos vtiqꝫ cōphēſoꝛes ſuos:nō ipacient̄ ſed rationabiliter:non
inaniter ſꝫ lamētabilit̄:auſculta ꝛ tu o aīa mea affectāt̄ Tanqꝫ
ad latronē exiſtis cū gladijs ꝛ fuſtibus cōphendere me Quaſi
dicat Sine cā hoc feciſtis Cuiꝰ rō ſubdit̄ Cotidie Ideſt frequē
ter:apud vos erā i tēplo docēs ꝛ nō me tenuiſtis Ac ſi diceret
Latronis offitiū ē nocere ꝛ latitare:ſed ego non nocui ſꝫ pluri
mos ſanaui:non latui ſed publice docui In quo v̄bo ſcdm An
celmū dñi māſuetudo notāda eſt:qui tā dulciter ꝑſecutoꝛes ſu
os alloq̇tur:tā dulci iterrogatiōe redarguit:vt ipoꝝ nequitiaꝫ
cōpeſceret:ꝛ nos ad ymitationē ſue benignitatis vtiliter iuita
ret Sequit̄ Sed hec ē hoꝛa vr̄a Ideſt vobis ad me cōpꝛehen
dendū ꝯceſſa Et poteſtas tenebꝛarū Quia dyabolus tenebꝛaꝝ
pꝛinceps incitabat eos ad hoc faciendū:ꝛ ipſi tenebꝛarum filij
pꝛomptos ſe exhibuerunt ad ꝑficiēdū. ¶ Adoleſcēs aūt quidaꝫ
ſequebat̄ amictꝰ ſyndone Ideſt linea veſte Sup nudo.ſ.coꝛpe
qꝛ ñ hēbat aliō idumētū ab extra:h cū teneret̄ ab impijs Reli
cta ſyndone:elapſus manibus tenētiū. Nudus pꝛofugit ab eis.
Nondū fuit i eo ꝑfecta caritas que foꝛas mittit timoꝛē:ſed pro

tanto plus alyſ de amore habuiſſe videt᷑: qꝛ plus ceteris magi
ſtrū ſequebat᷑ Cogitare poſſumus q̄d iſte diſcipulus feciſſet ſi
aurū ꝛ argentū lapideſq̧ p̄cioſos ac alia bona imobilia habuiſ
ſet que ꝑdere potuiſſet: ſi ſic fugit q̄ ſola ſyndone amictus ꝛ te
ctus fuit Adhuc tn̄ modicū ī eo attēdere libet: ꝙ mox reſūpto
veſtimēto redyt ꝛ dn̄i veſtigia ſecutus fuit. Fieri enī potuit vt
ſub dubio noctis ſe turbis ducētiū ih̄m q̄ſi vn⁹ ex ipſis immiſcuit
donec ad atriū pōtificis cui notus erat ꝑuenit. Sed ſcire cupis
o aīa q̄s iſte fuerit Ad qd̄ nōnulli eſtimat vnū ex domo illa fu
iſſe vbi cenā manducauerat dn̄s iheſus cū diſcipulis ſuis Aly
vero Jacobū fratrē dn̄i fuiſſe auctumāt q̄ ſimilis eius erat Sꝫ
beda ꝛ beatus gregori⁹ ī moralibus de Johāne euāgeliſta mē
tionē faciūt Qui quāuis erat oībus iunioꝛ ī etate: nō tn̄ minoꝛ
in caritate: qd̄ melius ꝛ ꝑfecti⁹ claret ſi attēdimus ipius corꝑa
lē p̄ſentiā: nō hic ſolū ſꝫ ī morte fily dei n̄ defuiſſe a cruce. Dūc
ſymon petrus a lōge ſecutus fuit. Hy duo ſicut plus alyſ ama
uerūt Ita ēt plus alyſ ſecuti ſūt in paſſiōe: nec nō plus cucurre
rūt in audita reſurrectiōe Timoꝛ retraxit: ſꝫ amoꝛ attraxit Uti
nā bone iheſu amoꝛ tuus dulcis ī me abſorbeat timorē: qꝛ hoc
eēt placitū āte te vt ſumme diligerēꝫ te ex iſto p̄io egreſſu quē
vtrūq̧ maſticaui: ī quo caritas reſplendet in te vt traheremur
alliceremur ad te: veniamus cum diſcipulis ꝛ perſeueremus
apud te Et hec de primo egreſſu.

SEcundo o aīa mea dilecta
vide fily dei ſecūdū egreſſuꝫ: q̄ ē ab orto ad anne do
mū. ¶ Nā iſte egreſſus fuit valde penalis ꝑpt̄ q̄tuoꝛ
P̄rīo: qꝛ atrocit᷑ ductus. Secūdo qꝛ veracit᷑ virgini matri nun
ciatus. Tertio: qꝛ neq̄ter ibidē īterrogatus. Quarto: qꝛ cōfuſibi
lit᷑ negatus. ¶ Quo ad primū excutere o aīa a torpore ꝛ exꝑgiſ
cere ab iniquoꝝ clamore ꝛ furore vidēdo q̄d ꝓ te patit᷑ iheſus
dei filius pre amore Nā illas delicatiſſimas manus ligauerūt
ip̄mq̧ ꝑcuſſerūt ꝛ cōculcauerūt: nec ſibi in aliquo pepercerūt:
q̄ſi nulla cōpaſſiōe dignus foret: qui tn̄ tāta miſericordia ſingu
loꝝ ē miſerias ꝓſecut⁹ Hic fidelis deuotio perſcrutat᷑ factū tā
crudele dicēs Cū velut agnus corā tondente ſe obmutuit ꝛ ſe
libere capere ꝑmiſit: cur ille beluinus populus in tā mitē ꝛ piū
tā atrocit᷑ exarſit: Ad quod triplex cā impulit. P̄ria iude ꝑdito
ris ſuaſio ſiue ꝯſolatio. Secūda: q̄ſi āplioꝛ xp̄i cōfuſio Tertia ſa
cri myſtery inſinuatio. ¶ De p̄io pꝫ ex prehabitis: ꝙ impius



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

traditor conſuluit eis vt tenerent ipm ⁊ ducerēt caute:ne eorū valeret manus effugere. Huius g̃ conſilij nō immemores:ſ; ing̃ ti de exhibitis beneficijs ⁊ negligentes: nihil omittebāt eoru; que certe cuſtodie quouis poterāt modo quāq; atrociſſimo de ſeruire Unō o aīa mea noli tātā penā negligere : ſed ſtude ex in timis tā pio dn̄o cōpati:⁊ ipſius gemitibus ne inaniter ſed affe ctualiter cōmoueri. ¶ De ſecūdo ēt claret:q: in ligatura forti ⁊ patēti cunctis obuiantibꝰ oſtendebant eū morte dignum iuxta ritū iudaicū. Quēcunq; enim preſidi tradebant vinctum: quaſi aperta facie declarabant hūc morte plectēdu;:quod valde erat in capti confuſioue;:⁊ in cripere volentium non modicam co hibitionem . ¶ De tertio videlicet ſacro myſterio ribaldis oc culto:o anima mea ſcito q peccatis ligata ⁊ funibus dyaboli circumcincta eras: ⁊ eterne mortis vinculis obligata Ex quia dominꝰ ihesus te a vinculis venit ſoluere. vincula pro te digna tus eſt ſuſcipere. Et quia in orto ſiue paradyſo delitiarum adā prothoplauſtus furtum cum latrocinio quodammodo commi ſit quando cibum vetitum guſtauit: cuius rei cauſa totu; genꝰ humanum a temptatore comprehenſum tenebatur obnoxiu;. Ideo ſecundus adam pro expiatione ⁊ rei abſolutione in orto orationum ſuaru; ymbribus irrigato:quaſi quodam nouo pa radyſo conprehendi ſe voluit vt latro:quatenus dum inuiſibi lis viſibiliter apparens caperetur in innocentia ſua:homo pec cator abſolutus redderetꝰ a culpa ſua Sed quare ad annam du ctus fuit:cum tamen illo anno pontifitium nō habuit:ſcire de ſideras affectanter:⁊ ideo audi ⁊ rumina:vt deuotionem inde haurias habundanter. Nempe pluribus de cauſis id legimus contigiſſe. ¶ Una eſt quia illa domus anne prior ipſis in via oc currebat:qua propter nō ſine ipſius contemptu euidenti cerne rentur eam pertranſiſſe:⁊ ab illius ingreſſu abſtinuiſſe . ¶ Alia eſt:illa turba captiuās tumultū populi formidabat:preſertī ſi lō giori via progreſſi fuiſſent. ¶ Tertia eſt:quia idipſum de volū tate cayphe fore multum preſumebant. Volebat eni cayphas ſocerum ſuum in hoc honorare:vt ex conſequēti diuino occul to iuditio:qui erant affines in ſanguine:ſociarentur in ſcelere. ¶ Quarta cauſa eſt:quia in hoc quedam reuerentia extrinſeca relucebat. Nam iſte annas qui cayphe habebat ſororem : erat ſenior caypha Juditium enim primo ad ſeniores ferebatur : ⁊ ſic quodammodo eorum iuditium iuſtius cenſebatur. Conpla cuit igitur cayphe ihesum ab anna prius condempnari:vt ipſe

excuſabilior poſſet in ſententiando reputari. Sed ſingula bene
maſticanti non videbitur quiſqȝ eorum digne excuſandus: cũ
vterqȝ ad pontificatum ambitioſe reperiatur ſublimatus. Naȝ
primi paralipomenon.23.dicitur: ꝙ dauid vigitiquatuor ſacer
dotes inſtituit: ⁊ vnum ſummũ inter eos: qui per totam vitaȝ
ſuam fungi debebat ſacerdotio: quo mortuo ſuccederet ſibi fili
us eius: ſed poſt hoc totum deſtructum fuit: eſdras idipſum re
parauit ac vſqȝ ad herodem durauit: qui videns eos ambitio
ſos ⁊ inde ſibi commodum lucri prouenire: vendidit ſummuȝ
ſacerdotiuȝ duobus ſcilicet anne ⁊ cayphe: qui ſibi viciſſim in
minyſterio ſuccedebant: vtilitatemqȝ in cõmuni habebãt. Hy
quoqȝ pontifices: quãuis non habebant iuditiuȝ ſanguinis: ha
bebant tamen iuditiũ examinis: quia cauſas ad ritus iudeorũ
ſpectantes ipſi examinabant: ⁊ ſic cauſas examinatas preſidi
ceſaris offerebant: vt ſecũdum probata ferret ipſe preſes ſentẽ
tiã pro vel cõtra. O alma mater eccleſia q̃m ingens res tibi ꝓ
ponitur ſpeculanda a nouerca ſynagoga Ambitioſe ⁊ auaritia
ſacerdotũ illius temporis cecidit corona capitis: ⁊ omnis eius
decor ⁊ poteſtas peryt. Unde merito timendum ne vitys hu
iuſcemodi inquinata: que fuiſti ⁊ cenſeris dei ſponſa: efficiaris
adultera ⁊ digne reprobanda: ac tanqȝ meretrix obprobrio nõ
momentaneo ſed ſempiterno plectenda. Conſtat enim vero:
ꝙ raro bono peraguntur exitu: que malo ſunt inchoata princi
pio: vt habet̃.61.diſtinctiõe.c°. Miramur. Bonũ habes o alma
⁊ decora ſponſa principium: ſed non minor tibi incumbit cura
conſeruare quod inſtituta es ⁊ effecta: qȝ diligentia tue inſtitu
tioni adhibita eſt ⁊ plantationi. O pie deus quanta diſpendia
prouenerũt vel euenerũt patrys: ciuitatibus: opidis: villagys:
perſonis: ⁊ quod periculoſius dampnabiliuſqȝ ẽ animabus ex
ſymoniaca peſte: ymmo ex violenti intruſione aliquorum bo
num commune dirigentium: calamo nõ poteſt exarari: ore ne
quit exprimi: neſcio ſi corde humano etiam ſubtiliſſimo poſſit
ad plenum concipi. Uere multa hominum corpora iam in pul
ueres ſunt redacta que cum animabus ſuis adhuc in vita ſub
ſiſterent: niſi ex tam ſcandaloſo accidenti mors iopinata eos e
medio rapuiſſet O q̃m diſtrictum habebunt iuditium qui tan
torum ⁊ tot hominum mortibus per ſymonie ⁊ ambitionis vi
tia: dederunt ſufficiens dicam an euidẽs fomentum. Hy quid
egerunt niſi cum anna ⁊ caypha regnare non vocati voluerũt

Illumina ſpõſam tuã o fili virginis nec eã patiaris inquinari
alienoꝝ ſordibus que tuis extat lota ſudoribus ⁊ venuſtata la
boribus Turbe te cõprimũt o pceptor ⁊ tu dicis Quis me teti
git luce. 8°. Et quid apoſtoloꝝ principi reſpondiſſe te conſtat niſi
quod ſubditur Tetigit me aliquis Uere dñe tãgunt te nõ ſolũ
cõprimẽdo corporaliter: ſed occidẽdo ſpiritualiter: nõ ad ſalutẽ:
ſed ad pniciẽ: quia qđ iuſtitie ẽ ⁊ iuris nõ ſaluando ſed calcan
do Quod pietatis ẽ non amando ſed iugulando Quod humili
tatis ẽ nõ ſectando ſed repudiando Quod honeſtatis ẽ non ze
lando ſed dãpnabiliter ſimulãdo Humiliter ⁊ cũ tremore dico
annas ⁊ cayphas ſublati ſunt e medio pſonalr̃: ſz extincti non
dũ ſunt totaliter An regnant adhuc pcialiter? Nouit q̃ iudica
bit oĩa: cui nota ſunt cũcta ſecreta Ipe iuditiũ dabit pro mãſue
tis terre Audiant hec manſueti ⁊ letenť qꝛ veniet tẽpus ĩ quo
multoꝝ capita cõquaſſabit qui corã iniquis iudicibus ẽt intro
gatus tacuit: ¶ Secundo iſte egreſſus fuit penalis qꝛ veraciter
virgini marie nũciatus O quãto merore cor virginis fuit pfoſ
ſum cũ audiret ab apoſtolis fugitiuis vnicũ filiũ ſuũ totale ſola
tiũ ſuũ a diſcipulo traditũ: a furioſo populo captũ ligatuz ⁊ con
culcatũ: a ſuis quoqꝫ in manibus ĩpioꝝ tanq̃ leonũ rugiẽtium
dimiſſum Perpẽdat fidelis deuotio quãto cõpaſſiõis gladio il
lud virgineũ pectus confodiebať: cũ eius filius vnigenitus ſic
dire oĩ poſtpoſita hũanitate in captiõe ſubplãtabať: vberabať:
⁊ calcibus: pugnis: ac lignis ſacratiſſimũ: tenerrimũqꝫ corpus
lacerabať Nõ dubiũ qui toto mẽtis affectu ſpiritu parũp reſo
cillato: flãma pfecte caritatis ſuccẽſa: mente dixit deuota Sur
gã ⁊ circuibo ciuitatẽ per vicos ⁊ plateas querã quẽ diligit aĩa
mea Deniqꝫ imaginare poteſt quiſqꝫ fidelis ꝙ occurrunt ei vi
giles qui cuſtodiebant ciuitatem: quibus parumper greſſum fi
gẽtibus virgo ait plena meroribus Num quem diligit anima
mea vidiſtis? At illi Qualis eſt dilectus tuus o pulcherria mu
lierũ? Dilectus inquit meus candidus ⁊ rubicũdus electus ex
milibus Et illi An ille eſt quem principes noſtri hac nocte ce
perũt ⁊ ad domũ anne tanq̃ malefactorẽ pſentãtes duxerunt?
Quo audito ingemiſcẽs ⁊ dolens vlterius ſine pauſatione pro
gredi non valuit licet gemitibus ⁊ ſuſpirijs affectuoſiſſime pſe
cuta fuit Hanc tenerrimam deſolatamqꝫ virginẽ matrẽ pia il
la magdalena nõ dereliquit ſz mẽte vulnerata licz fide quaſſa
ta que in virgine permanſit ſolidiſſima: ſecuta ẽ tñ p multa ſuſ
piria O vtinã nos ĩueniri poſſimus in tali comitiua ĩdubie di

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uina nobis arrideret grã. ¶ Tertio fuit ille egreſſus valde pẽa
lis: qꝛ ab anna nequiter interrogatus ꝛ ſignãter de duobus vi
delicet de diſcipulis ſuis quos eſtimauit ſeductos ꝛ de doctrĩa
eius nõ cognoſcẽde veritatis amore ſꝫ occaſione calumpnie vt
haberet aliquid ex ore eius vñ accuſaret eũ O aĩa mea attẽde
duo in domo anne ſpõſo tuo xpo ipoſita. ſ. falſe doctrine ſemĩa
tionẽ Et ex tali doctrina hoĩm ſeductionẽ Et vtinã cũ ꝓpheta
ſeducaris ꝛ dicas Domĩe ſeduxiſti me ꝛ ſeductus ſum Auſcul
ta deinde prudẽter loquẽtẽ ꝛ de diſcipulis fugitiuis tacentem
Quia reliquerãt dñm redemptorẽ qꝛ vergebat in eoꝝ ꝯfuſiõeꝫ
Bona igit qꝛ dicere nõ potuit de diſcipulis tacuit: dãs exẽpluꝫ
õnibus ne ꝓximũ poſt tergũ cõfũdamus: de doctrina vero inq̃
ſitus oſendit eã nõ fore ſuſpectã: ſed ex loco ꝛ audiẽtiũ teſtimo
nio merito approbandã dicens Ego palã locutus ſum mundo
ideſt nõ in angulo vel in occulto ſed ĩ publico Ego ſemper do
cui. ſ. in ſolemnitatibus paſce: penticoſtes: ꝛ ſcenophegie coraꝫ
populi cõgregata multitudine. In tẽplo ꝛ ĩ ſynagoga vbi oẽs
iudei cõueniũt Et in occulto locutus ſum nihil. Quod intelligi
tur: vt occultaret Quaſi diceret Ueritatem audire eius amore
nõ deſideras Interroga eos qui audierũt De quoꝝ dictis ſuſpi
tionẽ nõ habeas Ipſi enĩ ſciũt q̃d dixerĩ ego. Sup quo ait Cri
ſoſtomus Interroga inimicos meos q̃ inſidiant mihi O veri
tatis inaltricabilis demõſtratio: cũ quis ẽt ĩimicos aduocat ĩ
teſtes vboꝝ ſuoꝝ Tũc vnus miniſtroꝝ pontificis q̃ opinatur a
quibuſdã fuiſſe malcus Cuius auriculã abſciderat petrus quẽ
ſanauerat xps: eius beneficio ingratus vindicare ſe de diſcipu
lo volens in magiſtrũ extendẽs manũ procaciter dedit alaphã
ihesu atrociter dicẽs exprobrãter Sic reſpondes põtifici: Acce
pit nẽpe reſpõſionẽ dñi ihesu q̃ſi pontificẽ notaſſet de ſtulta inẽ
rogatiõe Uñ q̃ſi zelãs pro põtificis honore nõ horruit dño ma
ieſtatis q̃ſi preſumptuoſo alaphã penalẽ valde infligere ac ſi vr
banitatẽ verbere vellet docere O aĩa mea vide qũo tanq̃ꝫ pre
ſumptuoſus ꝑcutit dñs vt humilẽ pacientiam doceat ꝛ omnẽ
pſumptiõis notã hõ miſer euadat. Uel ſcdm theophilũ: qꝛ xps
interpellabat miniſtroꝝ aſtantiũ teſtimoniũ Iſte volens ſe ex
cuſare non fauere parti ꝛ doctrine xpi: quaſi ſe inſinuat ac ſi di
cat verbere quãuis nõ eodẽ ſermone Doctrina veſtra ſic mihi
placuit: prout frontoſa reſpõſio reſonat corã põtifice tãto: Ecce
quid loquit hõ iſte ip: dẽs: dñm maieſtatis cedens. Sic ĩquit
reſpondes põtifici: Quaſi dicat Cum tãtus põtifex a te dignat

audire verbum: tam obprobrioſum non vereris dare reſpõſū:
Diſce ex verbere quomodo de cetero debeas domino meo re
ſpondere: cuius gratiā mecum deberes ſumme affectare: Ecce
quomodo blanditur pro domino: qui pro fauore captando ī ho
mine: nō timet in xp̄m deum manū inicere. O quot ſunt hoc ī
tempore miniſtri magis pro rege: q̄ȝ pro diuina lege certantes.
plus pro lucro q̄ȝ pro veritate deſudantes Ue ſeruis: dominoꝝ
amore veritatem calcātibus Quid a domino ſuo iſte ribaldus
iuſſus feciſſet: cum tam crudeliter perſuaſione dyaboli ſine mā
dato dn̄i ſui in iuſtum ⁊ innocentē deſeuit: Habes igitur ī hoc
ſeruo neqȝ magnam proteruiam: ſed apprehende dn̄i tui ꝑcuſſi
magnam paciētiam Ait nempe Si male locutus ſum: teſtimo
perhibe de malo Ideſt demonſtra ⁊ reprehendere cura. Si aūt
bene Ideſt ſi nō habes q̄d iuſte querele Quid me cedis: Utiqȝ
iniuſte cedis o miſer: qꝛ iuſte reprehendere nequis O pie iheſu
q̄ȝ benigne: q̄ȝ manſuete: q̄ȝ caritatiue loqueris O quāta paciē
tia relucet in verbo ⁊ ſermone iſto Eſtimo ſignū percuſſure in
maxilla xp̄i remanſiſſe: ⁊ ſanguinem ex dentibus profluxiſſe:
⁊ nihilominus cū dignus eſſet percuſſor abſorberi a terra: ⁊ ꝑ
cuſſus potens eſſet eum demergere in abyſſum inferni: tamen
potentiā celans ⁊ miſericordiam approbās dulci reſponſionis
v̄bo ſe ponere vult hominū iuditio: cū tn̄ pr̄ eternus ōne ſibi de
dit iuditiū filio vtiqȝ vnigenito: vt patientiam diſceret inops ⁊
pauꝑ hō a deo v̄o ⁊ ꝓ hominibꝰ humanato: humiliato: ꝑcuſſo:
⁊ abiecto O ſi cogitamus quis alaphā acceperit: nōne vellemꝰ
eum qui ꝑcuſſit celeſti igne ꝯſumi: aut a terra abſorberi: aut ar
reptū demonio volutari: aut alia aliqua huiuſmodi: vel etiam
grauiori qualibet pena puniri: Augꝰ Quid hoꝝ per potentiam
iubere nō potuiſſet: per quē factus ē mūdus: niſi pacientiā nos
maluiſſet docere qua vincitur mundus: O quantū ab hac via
digreſſi ſumus: qui leue ⁊ volatile verbum tam inpaciēter tol
leramus Statim nempe iracundie flamma ſuccendimur: tre
munt manus: rigeſcit corpus: flāmeſcunt oculi: palleſcit facies
⁊ tota armonia alterat̄ hoīs Pro verbo paciētie reſpōſū damꝰ
cōtumelie maledictiōis horrēde Et modis q̄bus poſſumus vo
lumus vindictā exercere: q̄ſi exemplar paciētie ꝑfulgidum nō
habuiſſemus in ſaluatore Sed aliquis forte dubitat quare alte
rā maxillā non prebuit: cū tn̄ hoc ſecundū eius doctrinam alie
nū non fuerit. Audiat huiuſmodi non meam ſed beati auguſti
ni deſuꝑ ſniam q̄ dicta ⁊ precepta ſcripture ex factis xp̄i ⁊ ſan

ctorum debent interpretari. Si ergo ſacra ſcriptura ſic interp̄
tanda eſt ſcd̄m q̄ xp̄s ⁊ ſancti eam ſeruauerūt: ⁊ ipſe xps vtiq;
prius impleuit precepta que docuit: non ergo aliam prebendo
maxillam percucienti oſtendit nō ſemper actu: ſed aliquando
ſic ſe cauſa offerente debere agere aio vero paratum eſſe ad pa
ciendum ſi opus eſſet: fieri enī poteſt vt alteram percucienti p̄
beat ſed iratus. Sed beatus ē ille qui ī omnibus que iniuſte pa
titur dicere pro iuſtitia poteſt. Paratum cor meū deus: paratū
cor meū. Vn̄ hoc ⁊ ſimilia non abſolute debēt intelligi: ſed ma
gis ſecūdū animi preparationē: vbi ſic viderit expedire ad dei
honorē ⁊ eccleſie edificationē. Sed o aīa mea dilecta quid faci
es magnā digreſſionem de vna alia maxilla prebenda? Vide
potius ⁊ reconde tibi q̄ ſponſus tuus nō ſolum maxillam: ve
rū etiā totum delicatiſſimū corpus ſuū expoſuit pro te atrociſ
ſimis tormētis etiā p ſingula membra: pro vt ſuo patebit loco
diuina nobis cooperante clemētia. ¶ Quarto fuit iſte egreſſus
multum penalis: q̄ ab apoſtolorū principe fuit confuſibiliter
negatus. Nam vt dicitur iohānis. 18. Petrus ſtabat ad oſtium
foris: ⁊ ille alius diſcipulus q̄ erat notus pōtifici exiuit ⁊ dixit
oſtiarie ⁊ introduxit petrum. Dixit ergo petro ancilla oſtiaria
cū ſtaret cū miniſtris ad ignē: q̄ frigus erat. Vere frigus: q̄ nō
efferbuit ī eius pectore ignis ille diuinus: zelus caritatis que fo
ras mittit timorē. Nūqd ⁊ tu ex diſcipulis es hoīs iſtius? Qua
ſi diceret Tu hic ſtas q̄ſi vnus ex nr̄is: ſ; queſo te nr̄ es: an hoīs
iſtius? Videt̄ nēpe mihi q̄ diſcipulus ſis hoīs iſtius. Tūc vnius
mulierc voce pculſus dū mori timuit vitā negauit dicēs. Mu
lier nō ſū: neq; noui illū. Ecce q̄uo timet corā muliere: q̄ ſpoſpō
dit cū dn̄o in carcerē ⁊ in mortē ire. Quid faceres o princeps ī
medio lacerantiū leonū: q̄ ſic pcipitatus es ad vnius paupcule
verbū. Quid queſo diceres pculſus a potēte: q̄ ſic cecidiſti corā
īpotēte muliere? Non dixit illa Tu es diſcipulus hoīs ſeducto
ris ⁊ malefactoris iſtius: ſed ſine additione īterrogat. An hoīs
iſtius? Negas te non eſſe diſcipulū eius. Vere magnū facinus
ē: ⁊ ſatis non eſt: ſed abnegas ſuper hoc te non habere notitiā
eius. Et ego vermiculus ad te o princeps ayo. Quis ille fuit q̄
clara voce profitendo veritatē eius confeſſus eſt diuinitatē
dicens. Tu es chriſtus filius dei viui? Nonne pater tibi hoc
verbum de verbo reuelauit? Nonne iam retro aſpicis qui
a profectu tam magno cadis? Vide ergo ne ille iniquus
qui expetiuit te vt cribraret ſicut triticum: pulueriżet te

ad vocem mulieris qui hominem primum cepit per mulerem Deniqꝫ q̄ habuiſti ī cōfeſſiōe p̄ris reuelationē: auſculta gallicā tū in negatione te monentē Sequit̄ Et ſtatim gallus cantauit Gallus cantat: petrus negat: cū mulier interrogat ⁊ ſic gallicā tū nō auſcultat: ⁊ populus ille induratus ih̄m moleſtare coꝛā anna non doꝛmitat. O q̄uo dn̄s nr̄ in illo negāte diſcipulo toꝛ q̄baꝛ cū ex ſpōſione facta plus ei q̄m alius tenebat Nā beatū eē petrū ꝓfeſſus ē in cōfeſſione: ⁊ ecce iā hō peccatoꝛ ē magnus in hoꝛribili negatione. O aīa mea eſto in dn̄i timoꝛe reſtricta ⁊ tuū lapſum ſp̄ foꝛmida: cū oꝛe diuino laudatus ex oꝛe pꝛopꝛio audiat̄ negās: ancille voce cōſternatus Indubie magnā fecit iniuriā: qui ſic ancille ꝑtimuit loquelā: vt eternā ꝓfiteret ſe ne ſcire medelā Deniqꝫ ſic ⁊ ſic dn̄s vilipēſus a ꝓſiāis derelictus a diſcipulis: manet ad oīa paciēs ⁊ inꝑturbabilis: ⁊ cū magna coꝛdis cōpaſſione aīa mea ſequet̄ vt videat finem: quia in illo plena fide generis humani perpendo conſtare ſalutem. Et hec de ſecundo egreſſu.

# Tertio o aīa mea dilecta fi

delis ⁊ dilecta vide fily dei egreſſum tertium: qui ē ab anna ad cayphā pontificē impiū: qui quidem egreſſus valde extitit penalis ꝓpter q̄tuoꝛ. Pꝛimo qꝛ falſis teſtimonys infeſtatus. Secundo ab ipo pontifice adiuratus Tertio ab oīb⁹ obpꝛobrys ⁊ illuſionibus agitatus Quarto iterū calūpnioſe in iuditio ꝑntatus. Hys igit̄ ꝑlibatis reſtat videre quō duxerunt eū ad cayphā: ad quē miſit eū annas ligatum quaſi dignum moꝛte ⁊ reum Nam cōuenerunt pꝛincipes ſacerdotum ⁊ ſcribe: ideſt legiſperiti Et ſenioꝛes populi: ideſt iudices oꝛdinary. Et impleta ē ſcriptura dauitica pſalmo ſcdo: Aſtiterunt reges terre ⁊ pꝛincipes cōuenerūt in vnū aduerſus dominū ⁊ aduerſus xp̄m eius O ihesu fili dei q̄m dire ⁊ crudeliter ꝯfuſibiliterqꝫ ꝑntat⁹ fuiſti: ⁊ quāto gemitu ſuſpirabat beatiſſima virgo mater qn̄ pꝛimo vidit te filium ſuum poſt captionē: illo. ſ. tēpoꝛe quo a domo anne ad caypham pꝛeſentabaris cum libenter te fuiſſet amplexata ſed huc illucqꝫ truſa ac minime permiſſa. Vere dicere potuit Fletū fecit mihi dominus nō riſum Gemitum non coꝛdis tripudium Miſeriam non letitiā Obpꝛobriū nō gaudium Et quis conſolabitur animū meū. Et ego ayo ad te o mater dei ſpōſa dn̄i mei: regis mei Volue faciē modicū ⁊ aſpice ocul' pudicitie tue: vide petrū ſequētē filiū tuū.

ſequentē etiā vſqꝫ in atriuꝫ principis ſacerdotū: ſed a longe ex timore mortis dure ⁊ ſocietatis nephāde: nō amore acceptāde paſſionis victorioſe Ingreſſus deniqꝫ in atriū ſedebat cū miniſtris: vt vel ſic q̄ſi vnus eoꝝ qui ceperant ihm̄ videret̄: ⁊ viſus putaret̄ ab alijs Et calefaciebat ſe ad ignē quia frigus erat. Vere magnū frigus: quia ī eo valde tepuit carbo ille diuin⁹: ignis vtiqꝫ caritatis Fuit tñ in medio ribaldoꝝ: q᷑ volebat videre ſecūdū Jeronimū: quid de xp̄o pontifex iudicaret An. ſ. morti ipſum traderet: an flagellis ceſum abire ꝑmitteret. Quē cū vidiſſet alia ancilla: cepit dicere circūſtantibus Et hic cū iheſu nazareno erat Vñ moti ex verbis ancille accurrētes dixerūt petro: Nūquid ex diſcipulis eius es: Et iurauit q᷑ neſcio hoīem quē dicitis Ecce qūo aggrauat̄ in ſcelere Prio nēpe ſimplicit̄ negauit: iam negationi iuramentū mendax aſſotiauit Timens igit̄ foras iterū exijt: ⁊ īteruallo facto q̄ſi hore vni⁹ denuo reuerſus allectus adhuc vinculo quodā priſtine dilectiōis. Dixerūt ei q̄ aſtabāt Vere ex illis es: nam ⁊ galileus es: q᷑ loquela tua manifeſtum te facit. Hijs p̄cipue vn⁹ ſe ingeſſit ex ſeruis pontificꝭ. cognatus eius cuius abſciderat petrus auriculā: dixit oīm obiectiōes firmādo Nōne ego te vidi in orto cū illo: Tunc cepit deteſtari ⁊ anathematizare Jdeſt ſeip̄m maledictioni obligar̄. ſi nouiſſet hoīem Quo nondū v̄ba cōplente iteꝝ gallus cātauit Videat q̄ſqꝫ fidel' q̄m dulcis erat huic diſciplo p̄ñs ⁊ miſerabilis vita: vt pro modica ꝑte labentis ⁊ fragilis vite: veram abnegauerit vitā: ēt cū iuramēto ⁊ execratione O ſi ſciuiſſet quid miſerie quid ve defectibilitatis habet p̄ñs vita: nō ſic repudiaſſet ⁊ abnegaſſet eterne vite fontē: lumē verū: ſolamen plenū: fideliū vniuerſoꝝ O ſi aliquis affuiſſet qui fidēti aīo: neganti tā impie reſpondiſſet vere Vbi nūc ē o petre v̄buꝫ q̄ñ dixiſti alijs retro abeūtib⁹. Domine ad quē ibimus: Verba vite eterne habes Si hoc verum: cur iam aſſeris tam trepide oppoſitū: dicendo aperte falſum: An penites quia vere verum dixiſti de vero dei filio: Nōne in monte conſtitutus cū eo dixiſti Domine bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic tria tabernacula: Cur ipſuꝫ iam negare non formidas ī atrio: in cuius voluiſti manere tabernaculo: An forte voluiſti eſſe ſotius menſe: ⁊ nō anguſtie: O humana infirmitas Vtinā iam ſuccurrat diuine bonitatis īmēſitas: vt vel ſic corrigatur iniquitas Sequitur Et cōuerſus dn̄s reſpexit petrū: vtiqꝫ auerſum Secūdum beatū auguſtinū: Jſta dn̄i reſpexio nil aliud fuit niſi in mēte petri traditio q̊tiēs

dñm negauerit ꝓ vt ſibi an̄ p̄dixit. Vñ ſic ip̄m reſpitiēs miſeri
cordit᷑: ↄuertit eã ab errore ſuo multũ clemēt᷑ q̄uis ĩ negatio
nibus deliquit enormiter: ĩ cuiꝰ horribili delicto xp̄s affligeba
tur ⁊ puniebatur multũ vehemēter Et ſic recordatus eſt petrꝰ
verbi iheſu quod dixerat Priuſq̄ȝ gallus bis vocē dederit ter
me es negaturus Secūdũ criſoſtomũ nihil ſic curat delictum:
vt cōtinue in mēte habere dñm. Huius igit᷑ recordatio ĩ petro
extitit penitentie ſalutaris inchoatio Vñ egreſſus foras fleuit
amare Id eſt ex cordis amaritudine de tã horrēdo crimine Le
git᷑ iuiſſe ad caueã ſiue foueã que modo gallicantus dr̄ vbi flēs
⁊ penitēs fuit. In cuius memoriã fletus edificata ē eccleſia ſan
cti petri: qui locus ſtare ꝓhibet᷑ inter montē ſyon ⁊ ciuitatē ihe
ruſalem Flebat ſcd̄m criſoſtomũ nō ꝓpter penã quã meruerat
ſed q2 dilectũ negauerat: qđ ei quolibet ſupplitio moleſtiꝰ erat
Ambroſius inſuꝑ ait. Nō inuenio quid dixerit ĩuenio ꝙ fleue
rit: eius lachrymas lego: ſatiſfactionē nō lego Videt᷑ ex h̄ ip̄o
ꝙ tãta fuerit eius cōtrio: ꝙ ſufficiebat pro ipſius ſatiſfactione.
Quod teſtatur patenter ſanctus leo papa. Felices inquit o apo
ſtole lachime tue: que ad diluendam culpam negationis: v̄tutē
ſacri habuere baptiſmatis Nos vero qui ſepe dominũ ⁊ ſi non
verbo tamē facto teſte apoſtolo negamus Ubi petrus cecidit
non ſurda aure tranſibimus: quia ſecundum ambroſium Ubi
negat petrus. Non in monte inquit: non in templo: non in do
mo ſua: ſed in pretorio iudeorum in domo principis ſacerdotũ
Ibi negat: vbi iheſus ligatus eſt: vbi veritas non eſt. O quan
tum diſpēdium verſari in curys magnatum Petrus ſemel cu
riam ĩtrauit ⁊ ibi vigorem animi perdidit: ⁊ chriſtum dominũ
negauit Quid ſi ibi diu manſiſſet? Vere nondum penituiſſet.
Foras igitur exyt: ⁊ cōpunctus cordialiter fleuit amare ⁊ ſalu
briter. Sed quomodo videndum eſt nobis ſapienter ⁊ agendũ
exemplariter Nempe primo gallus cantauit Deinde dominus
petrum reſpexit Tertio petrus flere cepit foras egreſſus Unde
ſcd̄m beatum gregorium: tunc nobis gallus cantat: quando p̄
dicator quiſq̄ȝ corda noſtra ad penitētiam excitat Sed gallus
excitare in cantu nos non ſufficit: niſi dominꝰ pietatis ſue ocu
lo peccatorem reſpexerit Oportet enim vt miſer in tenebris re
maneat: q̄m diu cum lux mundi non illuminat Exclama ergo
o anima ⁊ dic O beati oculi tui domīe iheſu qui ita calefaciũt
cor frigidum: vt accendant ĩ amorem diuinum: vt homo ⁊ vi
deat creatorem ſuũ: ⁊ aſpiciat errorē ſuum: ⁊ q̄m cito gelicidiũ

pectoris liquefaciunt in aquas amaritudinis ⁊ deuotionis cō
uertunt Utinam bone ihesu tuus me dulcis reſpiciat oculus: q̄
totiēs ad vocē ancille procacis ſcilicet carnis mee: prauis affe
ctibus operibuſq; negaui Incipimꝰ ꝗ tandē flere qn̄ ignimur
intus per ſintillam conſcientie Et tunc foris eximus: cū egredi
mur extra quod fuimus Sed dicit aliquis Ego nō vellem do
minū negare: quāuis nō timeā eius voluntati peccādo contra
venire Sed ſciat quiſquis huiuſmodi ē: ꝙ quicūq; mortaliter
peccauerit in hoc ipſo xp̄m negauit Unde beatus Jeronimus
ſuꝑ epiſtolas ad tytū ſecūdo Cōfitenť ſe noſſe deū: factis autē
negāt: ait Et habeť .ij.q.3.in.c.° Eſtimāt Eſtimāt quidā in eo tm̄
deū negari ſi in ꝑſecutiōe quis agentibus cōprehenſus ſe confi
teri rēnueret eē chriſtianū Ecce apoſtolus omnes qui peruerſa
faciūt deū aſſerit negare Nam xp̄s ſapiētia ē iuſtitia: veritas:
ſanctitas: ⁊ fortitudo. Negatur ꝑ inſipiētiam ſapiētia: ꝑ iniq̄ta
tē iuſtitia: ꝑ mēdatium veritas: ꝑ turpitudinē ſanctitas: ꝑ ībe
cillitatē animi fortitudo Quotienſcūq; vincimur a vitijs ⁊ pec
catis: totiēs deū negamus Et ecōtrario quotiēs bonū q̄d agi
mus deū cōfitemur Idē dicit beatꝰ auguſtinꝰ Et habeť vbi ſu
pra in.c. Non ſolū Ubi inquit Non ſolū abnegat chriſtum qui
dicit eū non eē xp̄m Sʒ ille ēt qui cū ſcit negat eē chriſtianum
Et ego Ille ſe negat chriſtianū: qui ſe non oſtēdit xp̄icolam: ſʒ
cultorē diuerſoꝝ dogmatum ⁊ maloꝝ opationū exhibere nō
veretur ſectatorē Sed q̄ꝛ occaſionaliter in lapſu ⁊ contritione
principis apoſtolorum digreſſi ſumus: iterū ad propoſitum fi
lij dei certamē deuoto corde redeamus Diximus nempe ipſuʒ
primo falſis teſtimonijs infeſtatum Ait enim textus euangeli
cus ꝙ principes ſacerdotum ⁊ omne cōſilium falſum teſtimo
niū querebant contra ihesum vt eum morti traderent: ⁊ non
inuenerūt cum multi falſi teſtes acceſſiſſent O impietas dete
ſtanda O peruerſitas ab omnibus bonis reprobāda Sacerdo
tum ſanctitas vertitur in turpitudinem: ſcribarum ſcientia in
errorem: ⁊ in furorem trahitur matura ſenectus Nihil ad rei
publice ſubuerſionem noxius nihil ad deſtruendum feliciter
conſtituta validius: q̄m ſi vnde ſanctitas: vnde ſcientia: vnde
matura ↄſilia debēt egredi: hoꝝ ↄ̄ria ꝑſto ſint Nā miſeroꝝ r̄fu
giū eēt ſanctitas ymmo ēt ſcia ⁊ ſenectus Quibꝰ i ciuitate defi
cientibus: ignoratur ad quos recurſus habeatur in arduis Fi
lius ecce dei circumuallatur mendatijs non a vulgo ſed a vul
gi principibus: a maioribus plebis: a iudicibus vere peruerſis

mendatys nitunꝛ veritatē opprimere: quā rōnibꝰ nequiuerant
deuicere. Regina ioſeph mendatys: ſacerdotes ſuſannā ſmōi
bus ⁊ teſtimonys iniquis cōfundere conati ſunt: ⁊ hy pricipes
⁊ ꝯſiliary dei filiū ſimilibus telis aggreſſi ſūt: ſed mētita ē iniq̄
tas ſibi Ueritas paſſa ē q̇dē: ſed minime ſuperata. Quapropter
ait euāgeliſta Nouiſſime duo falſi teſtes ſurgētes dixerūt. Nos
audiuimus eū dicētē. Poſſum deſtruere tēplū dei hoc manu fa
ctū: ⁊ poſt triduū aliud nō manufactū reedificare Ac ſi conarē
tur ex hoc ꝓbare ꝙ diuinā ipē potētiā ſibi voluit vſurpare: ſed
falſi teſtes erāt. Ex hoc nobis ſupeſt vt ꝓbemus: nō ſimpliciter
ſed ad habūdantiā tripliciter. Primo ex v̇borū mutatiōe: quia
nō dixit xp̄s Poſſum deſtruere: ſed dixit Soluite: ⁊ non dixit
Reedificabo: ꝙ materiali tēplo cōuenit: ſed Excitabo: quod vi
uēti tēplo rectius cōgruere videꝛ. Secūdo ex v̇boꝝ additione:
quia nō dixerat xp̄s Templū dei manufactū: ſed ſimpliciꝛ Tē
plū hoc. Tertio ex teſtiū intētiōe: qꝛ nō eodē ſenſu ꝓtulerūt v̇ba
ſicut xp̄s dn̄s expreſſerat ipa. Nā xp̄s de templo expreſſerat ſui
corporis Ipſi vero de tēplo iudaico: vt vel ſic blaſphemareꝛ ab
omni populo: qui in templi tam celebris deſtructiōe ꝯ euerſorē
turbarētur nō imerito Sed q̄rit aīa deuota cur xp̄s nō reſpon
derit eis ex oppoſito. Audiat igiꝛ beatū auguſtinū deſup dicētē
Qꝛ apta mendatia nō ſunt reſponſione digna. Et nouerat dn̄s
eoꝝ animoſitatē ꝙ nō attendiſſent verā excuſationē. Et vt ait
beatus ambroſius Animoſis ad cōuicia ſemp̄ cedendū eſt Ui
cis enī dū cedis. Et beatus iheronimus ait Nihil ſimilius acti
bus demonū: q̄m cōtēdere ⁊ litigare. Et criſoſtomꝰ inquit. Si
vindicare vis ſile: ⁊ funeſtam plagam ei dediſti Si v̇o cōuitiū
cōuitio copulas: ignē feruidū accendiſti Ecce quod ſancti v̇bo
docent: xp̄s factis exhibet. Quicūq; igiꝛ ex dictis nō regulatur
ſanctoꝝ: arripiat ſaltē vt dignū eſt exemplū efficatiſſimū ſancti
ſanctoꝝ. Teſtimoniū ēt falſum nō de facili attendamꝰ ſed iuſte
quod iuſtū ē exequētes veritatē cū ōni pacientia defendamus
⁊ ipſa veritas liberabit nos. Und̄ beatus augꝰ. ſup̄ pſalmo. 37.
Et habeꝛ. ij. q. 3. c. At ſi inquit Et ſi ad tēpus dampnaris ab hoīe
⁊ ſi dixeris ſentētiā ꝓcōſulis ī ciprianū: aliud ē ſella terrena: ali
ud tribunal celeſte. Ab inferiore accipis ſententiā: a ſuperiore
coronā. Et qꝛ magiſter oīs ꝑfectiōis maluit tacēdo vincere: q̄m
cōtētionibus deſeruire: vidēs hoc ipm̄ ideſt attendēs cayphas
princeps ſacerdotū: dolens ſe vinci: qꝛ ih̄s tacebat: ⁊ teſtimōia
in medium prolata non eſſe ad condempnationem ſufficiētia:

vt iueniret locũ calũpnie: ira motus ⁊ impaciẽtia ſtimulatus: ac veſania mentis agitatus: ſurgẽs in medium de ſacerdotali ſolio ait illi. Nihil reſpondes ad ea que iſti aduerſum te teſtantur? Ad reſponſum prouocat: vt ex occaſione ſermonis locũ accuſandi inueniat. Sed quid ſequit̃ Jheſus aũt tacebat ⁊ nihil reſpondit. Si diligẽter attendis: tacuit quidẽ propter quatuor. Primo vt oſtenderet ſuã iuſticiã: q2 apte ſe indignos reſponſione exhibebant cuz falſitate ſe munire minime formidabant. Secũdo vt patefaceret ſuã miſericordiã: ne videlicet amplius peccarent ⁊ grauius: cũ in malitia perdurarent. Tertio vt exhiberet ſuã ſapientiã. Sciebat enĩ vt deus q2 quidquid reſpondiſſet: in calumpniã traxiſſent: ⁊ reſponſio excuſationis nullo piũ prebente auditũ foret inutilis. Quarto vt innueret nobis ſuam pacientiã: dando nobis in ſuo ſilentij exemplo informationez calũpnias hominũ ↄtempnere: ⁊ potius cuz merito humiliter ſilere q̃z ſine profectu ĩ ventum verba proferre. Unde ſic humiliter tacendo impletur de eo quod prophetatũ ẽ yſaie. 53. Quaſi agnus corã tõdente ſe: ſic nõ aperuit os ſuũ. O aĩa mea dilecta attende: vide: ⁊ cõſidera q̃m humiliter dominus omniũ: benignum ⁊ ſpetioſum ſuuz deflectit in terra vultum: factus abiect9 ⁊ tanq̃z mutus coram ſapientibus: vt nõ ad pompam dampnabilem: ſed ad humilitatem cõmendabilem docendam: ⁊ nõ ad ad inſipientiam tibi ſe ſic exhibere curaret. Apprehende igitur hec arma ⁊ hoc ſcutum. ⁊ exurget deus ipſe tibi in adiutorium quod proficiet tibi ſup aurũ ⁊ argentũ: ⁊ ſup omnẽ lapidez precioſum multum. ¶ Sequit̃ igitur ſecũdum ſcilicet q̄ extitit ab ipſo pontifice adiuratus. Uñ dicit textus euangelicus verbum cayphe. Adiuro inquit te per deũ viuũ: vt dicas nobis ſi tu es xp̄s filius dei viui benedicti. Non querit de adoptione: ſed de eterna generatione: an ſcilicet ſit filius dei naturalis. O inquiſitio alta: ſed intentio non ſancta. Hunc caypház ymitant̃ alta ⁊ ſubtilia indagantes: ⁊ cor ſincerum minime habentes: quia curioſitati non veritati ſeruire cupientes. Reſpondit iheſus ob diuini nominis reuerentiam dicens. Tu dixiſti quia ego ſum. Secũdũ rabanuz q2 ſacerdos nouerat legẽ que xp̄m p̄dixerat ideo ait in preterito. Tu dixiſti. Quaſi diceret. In lege hoc diſcere ⁊ ex lege ſcire potuiſti. Pylatus vero hoc ſoluz ex auditu habuit: ideo ei ĩ preſenti tẽpore reſpondit. Tu dicis: nõ vt cayphe. Tu dixiſti. Et adiecit. Verũptamẽ dico vobis videbitis: ſcilicet oculis corporeis: filium hoĩs quem contẽpnitis ⁊ ignominioſe

tractatis venientem in nubibus celi: ſecundū formā humanam
⁊ ſedentez.ſ.in die iuditij a dextris virtutis dei. Quaſi diceret.
Uos me vt purū hoiem cōtempnitis: ⁊ quaſi impiū condēpna
tis: ſed ꝓpter perſum iuditium me iudicē iuſtiſſimū ſup ōnes
celos videbitis exaltatum. Quia reſpōſione motus magis inſa
niēs ſcidit veſtimēta ſua. In quo ſecundū iheronimū inſcius
quaſi facto prophetauit: cū iudeos ſacerdotalē gloriā ꝑdidiſſe
oſtendit. Dum enī veſtem ſibi deſcidit ipſum quo tegebatur ve
lamentū legis abiecit: ⁊ ſic ex chriſti morte ignominioſius ap
parebit. Mos erat iudeis ſcindere veſtes in ſignū doloris ⁊ de
teſtationis criminis: cum aliquid blaſphemie ⁊ quaſi ꝯ deum
audiebāt. Unde bernabas ⁊ paulus ſciderunt veſtes cuȝ cultu
diuino ſe honorari videbāt actuū.14. Hoc autem tam enorme
peccatū pontifex iſte īponebat xp̄o dicēs Blaſphemauit Quaſi
diceret Quod dei eſt ſibi attribuit: cū purꝰ ⁊ pauꝑ hō ſit. Quid
adhuc egemꝰ teſtibꝰ. O ꝑuerſitatē Querit ⁊ querēdo īſinuat: q̄ſi
in vanū ſit adhibere teſtimoniū ſuū āteponēs animū ⁊ iuditiū
ſentimētis ſingulorꝫ: nihilominus applauſum ſubiecit dicens.
Ecce nūc audiſtis blaſphemiā. O inſania principis nequā. Nō
dixit xp̄s blaſphemiā ſed veritatē: ſed tu blaſphemas qꝛ quod
dei ē deo ſubtrahis ⁊ nō attribuis cū dei filiū purā creaturā di
cis. Suo veraci reſponſo necas te: occidis te: ⁊ queris occidere
quē non erubuiſti interrogare: adiurare ⁊ blaſphemiū noīare:
⁊ alijs blaſphemiū inculcare dicēs. Quid vobis videť: O euer
ſor iuſtitie. Prius dediſti ſnīam: poſtea queris conſilium: quaſi
dicere velis. Quis me ſapiētior: quis ve tam demens q̄ mee de
terminationi diſſentiant: Uere in iuditijs huiꝰ tēporis huiuſce
modi vie nōnūq̄ꝫ practicanť: vt illi ex auctoritate quodāmodo
preualeant: quorꝫ volūtati minores contradicere minime vale
ant. ❡ Unde ſequiť tertiū quo ab omnibus ē obprobrijs ⁊ illu
ſionibus agitatus: qꝛ tūc oēs cōdempnauerunt eum dicentes.
Reus ē mortis. Et quidem vere reſpondiſſent ſuppoſita verita
te facti. Omnis enim qui blaſphemat nomen dei ſecundū legē
reus ē mortis qꝛ dēt lapidari: ſed qꝛ factū ſup quo fundebatur
queſtio fuit falſum: ideo reſponſio fuit falſa ⁊ ſententia iniqua.
Et ad maiorē cumulū dāpnationis fere omnes qui circūſtabāt
irruerunt ſup dn̄m iheſum ⁊ illuſerunt ei. O dilecta anima no
li perfunctorie iſtam illuſionez preterire: ſꝫ caue ne illudas xp̄o
ſpondens ei vite emendā: ⁊ deſcendens plus magis ire ad pec
cati corruptelam. Qui delectanť ī ſeno peccatorum quaſi recre

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

anť in multitudine xp̄i obprobrioꝝ. Abſit hoc a fideli mēte: vt
xp̄o nō vereať cōtumeliā īferre ⁊ deludere: lectus nēpe dyabo
licus ē in cōtumelyſ ⁊ conuitys delectari. Ait criſoſtomus glo
ria tibi o dn̄e iheſu nō deriſio nō ſubſānatio debeť: nobis vero
confuſio ⁊ deluſio comiteť: niſi vite emenda ſuffrageť. Explica
tio fit vlterior obprobrioꝝ fily dei. Naz ſputis ē maculatus: fa
cie velatus: colaphis ceſis: alaphis ꝑcuſſus: deriſorie īterrogatꝰ
Quis pio mētis oculo iſta reuoluet? Nam aly ſpuebāt in eius
faciem ſpecioſiſſimā tanq̄ʒ in vilē ⁊ peſtiferū ac morte dignum
q̄ʒ ex verbis ſuis videbatur deo ſe feciſſe equalez. Conſpuerūt
inq̄ʒ eum: ⁊ ſic impleta eſt ſcriptura yſaie. 5º Faciem meam nō
auerti ab increpantibus ⁊ conſpuentibus in me. Et iob. 9. faciē
meā ſpuere nō vereńť. Mos erat iudeis in deſpectū ⁊ cōtemp
tum ſpuere in faciē illius quē abiciebāt: ⁊ hoc ipm in dei filiuz
creatorem omniū ⁊ regem angelorum fecerūt: nec ei in aliquo
pepercerunt. O benedicta domini mei facies in quā angeli de
ſiderant ꝓſpicere: quā peſſimi iudei veriti nō ſunt ſuis excreati
onibus ⁊ feditatibus deturpare. Non enī tantuz ſpuerunt: ſed
expuerūt: quaſi dicere velit euāgeliſta ꝙ execrādo ſpuerīt. Hoc
miſtice faciūt q̄ ſuis imaginationibus: cogitationibus ⁊ actio
nibus ſe polluūt: ⁊ q̄ ſacramētū eucbariſtie īdigne ſumūt. Aly
velabāt faciē eius: quod velamē in miſteriū vſq̄ʒ in hodiernuz
diē ſuꝑ corda manet eoꝝ. Naz niſi abiecto velamīe īfidelitatis
ad eum fuerint cōuerſi: faciē eius nō videbūt vero lumine irra
diati: ſed potius vt obſtinati luce gr̄e ⁊ claritatis diuine erunt
priuati: ⁊ in abyſſū inferni detruſi. O inſania ſeca. O cecitas ꝓ
phana infelitiū iudeoꝝ. Quia illā deſiderabilē faciē quā ſancti
ab initio ſeculi p̄res ſūmo caritatis ardore videre deſiderauerīt
cū multis ⁊ cordialiſſimis ſuſpirys cōtēplari affectarūt: cū pre
ſentialiter afforet tāto cōtēptui habuerūt O moyſes ſancte vbi
iā ē deſiderabile cordis tui gaudium quod anhelo pectore exhi
bibuiſti cū exodi. 34. vociferaſti. Si inueni gratiā in conſpectu
tuo dn̄e mihi faciē tuā. Miraris forte tua deſideria nō cito fo
re ꝯpleta. Noli mirari multū de dilatiōe: ſʒ mirari nō deſine de
ppl̄i quē eduxiſti ex egypto obſtinatiōe ⁊ ꝑtiaci ꝑuerſitate Aia
dilecta cū moyſe mirari forſitā: ⁊ ne inutiliter mirari potes po
tiꝰ de ſaluatoris pietate: q̄ tāta ꝓpt̄ electos ſuſtinuit: q̄ʒ de obſti
natiōe ppl̄i q̄ crimīa tāta ī ſaluatorē exercere veritꝰ n̄ fuit. Eſtio
veꝝ eē q̄rūdā ſpiritualiū ſētimētū videlicʒ ꝙ niſi illā gratioſiſſi
mā faciē velaſſēt: manū mittere ī bn̄dictū iheſuz formidaſſent.

Applaudo diuine iuſticie in iudeorū abiectione:qꝛ faciem tam
amabilē pio intuitu non poterant intuētes ſuſtinere. Putabāt
hij forte eoꝝ ſcelera nō videri:ſed mentita eſt iniquitas ſibi:qꝛ
nō ihesu dei filio cognitionē ceperunt in tpe:qui ſecūdum dei
tatem ōnia nouit ex eternitate. Sibiipſis vero abſconderūt ex
tēpore faciē domini: viſuri illam in nouiſſimo die: nō contectā
ſed reuelatā in ira ꝛ furore:quod dauid ſtuduit orādo ꝑcauere
Ille vtiqꝫ dauid qui ait. Domine ne in furore tuo arguas me.
Timeo nōnullos eſſe chriſtianos nominetenus ſaltē: velātes
chriſti faciē:peccantes ſcilicet in abditis ꝛ occultis locis:quos
ꝛ ſi oculi carnis non aſpitiunt:minime tñ oculi dñi ſole clario
res nō attendūt. Audiāt qui huiuſmodi ſunt illud ezechielis 8º.
Certe vides fili hoīs que ſeniores iſrahel faciunt vnuſquiſqꝫ ī
abſcondito cubilis ſui Dicunt enim Non videt nos dominus.
Huiuſcemodi ſūt qui ſub velamine libertatis peccant. Cōtra
quos dicitᷣ prime petri ſcōo Quaſi liberi:ꝛ nō quaſi velamē ha
bētes malicie libertatē Et beatus gregorius īquit. Manifeſtū
ſignū ꝑditionis ē dū affectatis iniquitatibus ſubſequēs faueat
peccādi libertas:nec vlla contrarietas īpedit quod mens ꝑuer
ſa concepit. Alij colaphis eū ceciderūt Ideſt in collo ꝑcuſſerūt.
Ille percuſſiones fuerunt multū deſpectiue Solent enī fatui ꝛ
deſpicabiles perſone in collo percuti. Vñ in colaphizatione nō
tam intenditᷣ leſio ꝑcuſſionis:q̄m maxima ↄtumelia deſpectio
nis Colaphizant ſcōm bedā ōnes falſi chriſtiani xp̄m:qui ip̄m
ore cōfitentᷣ:factis aūt negāt Colaphus datᷣ a tergo Illi ḡ cola
phizāt xp̄m qui quaſi añ cū ore blandiuntᷣ euꝫ confitendo.ſꝫ re
tro quo ſequi ip̄m habeant ꝑ bonam vitam colaphizant ꝑ ma
la opera ↄtradicēdo vel ꝓximū infamando Alij palmas ī faciē
eius dederūt Eſt nēpe palma ſecūdum papiam manus extenſa
vel exploſa:ſicut pugnus dicitᷣ manus cōploſa. Ex huiuſmodi
ꝑcuſſione homo plus affligitᷣ q̄m ſi in collo ꝑcuteretur:quia in
facie ōnes ſenſus ſunt:ibiqꝫ mēbra tenera faciliter leſibilia De
qua ꝑcuſſione iob.16. ꝓphetauit dicēs. Exprobrātes ꝑcuſſerunt
maxillam meam. Et trenoꝝ.3. Dabit ꝑcucienti ſe maxillā:ſatu
rabitᷣ obprobrijs Et ſibilla inquit. Dabūt deo alaphas manibꝰ
inceſtis O ſcelus horrendū impiiſſimoꝝ iudeoꝝ:tā ſpecioſā:taꝫ
amabilē faciē ꝛ formoſam ita crudeliter afficientiū ita cōfuſibi
liter verberantiū:ita hoſtiliter inuadentiū:ita viliter tractātiū
ꝛ ꝑcuciendo illudentiū:ꝛ ſubſannātiū:ꝛ ore rabido dicentium
Prophetiza nobis xp̄e:q̄s eſt qui te percuſſit O fili dei O ſpēs

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

celi o decoꝛ vniuerſi: quis tã obſtinate mentis ⁊ tã duri coꝛdis tã gelidi pectoꝛis: qui tibi nõ cõpatiat̃ in tot obpꝛobꝛijs: Quid aliud tãta obpꝛobꝛia pretendũt: niſi ꝙ iudei perũ dolebant ꝙ habuerant in ſua reputatione eũ tãto tp̃e vt ꝓphetã: quaſi deuignãtes in hoc ſe fuiſſe deluſos: Percutiũt. Subſannãt Et iterrogãt Quoꝝ primũ leſionẽ Secũdũ cõfuſionẽ Tertiũ quaſi ſup hec oĩa exigit reſpõſionẽ Sed o peruerſitas hũana ad quid deuenisti: Nõne ſtultũ erat qꝛ ſupuacuũ vobis verberãtibus reſpõdere: cedentibus ꝓphetare: cũ reſpõſionẽ ẽt quãtũcunqꝫ ſagacẽ inſaniã velitis eſtimare: Sufficiat o iudei ad dampnationem vr̃am multiplex obpꝛobꝛiũ: ⁊ ſi ñ requiratis ab eius ſancto oꝛe irriſoꝛie ad cumulũ dãpnationis veſtre reſponſũ Deſiſte ⁊ tu o ihũ fili dei blaſphemis ⁊ deriſoꝛib⁹ dare reſpõſũ: qꝛ tacẽdo preſtabis eis nõ modicũ toꝛmẽtũ: ad humani generis virtuoſũ pacientie exemplũ: ⁊ pietatis tue ſupeffluentis ingens iuditium. O aĩa mea exurge a ſumpno tui toꝛpoꝛis: ⁊ reuolue quõ pricipes iniqui nocte fatigant: ⁊ tandẽ media noctis hoꝛa ad qetẽ ſibi captandã receſſerit: ⁊ piũ ihesum in manus ribaldoꝝ dimiſerit. Cogitare ẽt potes quõ illi ribaldi totã nocte dñm iheſum fecerũt ducere inſompnẽ: ⁊ varijs atqꝫ exquiſitis modis eius inocentiã opprimere conati ſunt: quos qdẽ modos deuota mẽs ꝓfundius poteſt reuoluere: q̃m ſtilo ⁊ calamo quiſpiã valeat exarare. Intuere igitur o plebs chꝛiſtiana quot ptulerit in reſiduo noctis hui⁹ icõmoda: ⁊ vultũ inclinauerit in terra cũ omni modeſtia ⁊ paciẽtia. Adiunge te ei ꝑ cõpaſſionẽ coꝛdis: cũ non poteris explicare ipſius penas coꝛpoꝛis: nec doloꝛẽ anime ipi⁹. O quis valet ponderare meſtitiam gemebũde genitricis filij dei ĩ hoꝛa tã diſtricti examinis: in tenebꝛis ⁊ a tenebꝛarũ filijs illati. Uere mr̃ miſericoꝛdie merito nũcupaberis: que cũ mat̃ miſerie ⁊ tante miſerie fuiſti: ⁊ participiũ ingentiſſimũ habere voluiſti. ¶ Quarto aĩa mea ppendat quõ iterũ calũpnioſe in iuditio ẽ preſentatus Unde dicit ſanctus lucas ⁊ vt factus ẽ dies cõuenerunt principes ſacerdotum Ideſt pontifices reuerentia etatis ⁊ dignitatis precellentes Et ſcribe: reuerẽtia doctrine legalis pollẽtes. Aduerſus iheſum vt eũ moꝛti traderent O peruerſitas: ad moꝛtem querunt vitam: homines moꝛtales Nõne magis cõgrueret tam poteſtati q̃m ſcientie vt vitam diligerẽt q̃ꝫ vt necarent: Uitam dico inocentis non nocentis. Uere ſitibũdis coꝛdib⁹ moꝛtẽ eius deſiderabãt: cũ ⁊ ſumpnum rũperẽt: ⁊ ſummo mane ad iuditium properarent: vt ſanguinem eius

effundere poſſent Intelligat igiť mens deuota ī domo cayphe
bis conſilium aduerſus iheſum celebratuꝫ eſſe Ex teſtimonys
eni prehabitis non habebāt aliquid vñ ſufficienter eū accuſare
poterant romano preſidi: ⁊ ideo conſulunt ⁊ interrogāt: nō ve
ritatis amore: ſed calūpnie furore: dicētes Si tu es xp̄s dic no
bis Ecce nequitiā cordiū venenatorū An xp̄s ſit querūt: quaſi
ſcire volētes An rex vnctus regia poteſtate foret: quod ſi affir
maret preſidis romanorū dira ſententia plectendus eſſet eo ꝙ
ius ſuū ⁊ vocabulum ſibi vſurparet Expandūt rethe queſtiōis
ſed ſoluit dn̄s ſermone pietatis dicēs. Si vobis dixero non cre
ditis mihi. Supple: ſicut nec verbis nec factis meis crediſtiſ.
Si aūt interrogauero: non reſpondebitis mihi ſupple ſicut nec
alias reſpondiſtis cum interrogarē qūo xp̄s filius dauid eſſet.
Neqꝫ dimittetis. ſ. me: qui tn̄ ſum innocēs In quo īſinuat eos
legis tranſgreſſores: quia exodi. 23. diciť. Innocentē ⁊ iuſtum
ne occidas Et ſubnectit Ex hoc aūt. ſ. tēpore Ideſt poſt tempus
paſſionis: reſurrectionis: ⁊ aſcenſionis mee: erit filius hoīs ſe
dens a dextris virtutis dei. Ideſt in potioribus bonis patris
ſecūdū hūanitatē: ⁊ in equalitate patris ſecundū deitatē Quaſi
diceret Coram vobis apparet filius hominis in hūana natura
iudicandus: ſuo tēpore idē apparebit in eadē natura: ſed glorio
ſa ōnes iudicaturus. Tūc dixerūt Tu ergo es filius dei: ſcilicꝫ
naturalis O queſtio alta ⁊ vere ꝓfunda: q̄uis non pia mente
ꝓpoſita At ille humili taꝫ corde q̄ꝫ voce ait Vos dicitis qꝛ ego
ſum: Sup̲ quo beda inquit Ita reſponſionē ſuā temperat: vt ⁊
verū dicat: ⁊ ſermo eius calumpnie nō pateat. Maluit nempe
ſe filium dei probare q̄ꝫ dicere: vt veritati ſatiſfaciat: et lo
cū calūpniandi amoueat. Sed qꝛ peruerſa mens: peruerſa con
ſiderādo trutinat eū tanq̄ꝫ blaſphemū denuo condempnant di
centes Quid adhuc deſideramus teſtimoniū: ſcilicet ad probā
dū ꝙ ſe xp̄m dicat contra romanū īperium: ⁊ dei filium cōtra
deū Ipſi eni audiuimꝰ de ore eius O veſania inſipientium ⁊ ꝯ̄
ſe loquentiuꝫ proprioqꝫ ore ſeſe ꝯfundentiū Audiſtis dicitis ex
ore eius cui reuerentiā ⁊ fidem adhibere debebatis. vñ contra
voſipſos ſententiā profertis: cū ipſuꝫ tam oris q̄ꝫ operis teſtio
dei filium fore recognoſcitis. Mens deuota properet ⁊ fideꝫ
ſtabiliat in corde: cum iudaica prauitas perditionem propriaꝫ
non vereatur proprio ore ſibi inculcare. Vult quodāmodo ī er
rore perſiſtere quia odium contra dei filiū conceptum nō ſinit
verba ſalutis. gelida ipſorum pectora tranſuerberare ⁊ a malo

in bonū cōmutare. Ego vero penitudine peccatorū meorū deſi
dero mihi ſua verba pregnantia pro fulcimēto ſalutis adapta
re. Anhelo quoqꝫ ſpiritu deuotionis quo potero ad alium filij
dei exitum enodandum properare.

# Quarto o anima mea fidelis

⁊ diſcā vide filij dei egreſſū q̄rtū q̄ ē a caypha ad pylatū
ad quē ſpectabat iudiciū ſanguis. Ipſi videlicꝫ iudei ie
ſuz p̄ntauerūt q̄tenus īmunes a ſcelere reputarēt. ⁊ ipſi pylato
